

6

RÓPL.
214

1547

214.

R. 5 pl. 214 / 1. péld.

IN ILLVSTRISSI

MAE PRINCIPIS, REGINAE ANNAE,
REGIAE ROMANORVM, HVNGA-
RIAE, BOHEMIAE ETC. MAIE-
STATIS, FERDINANDI CON-
IVGIS, OBITVM, CAR-
MEN FVNEBRE.

Authore
Nicolao Polita, alijs Bourgois,
Bruxellensi.

Vienna Austria excudebant Haredes
Syngrenij. Anno salutis
M. D. XLVII.



IN ILLUSTRISSIMAE PRINCIPIS;

Reginae ANNAE, Reginae Romanorum, Hungariae Bohemiaeque, &c. Maiestatis, FERDINANDI coniugis, obitum carmen funebre.

Authore

Nicolao Polita, aliàs Bourgois, Bruxellensi.

TEmpus edax rerum, qua te ratione modoque;
Aut quibus execrer numeris? qua carmina dicam
Inuidiam factura tuae scelerique malisque;
Inuidiae? qua cuncta terit, cui prima recentis,
Et bene perfecta nondum, fit originis hora
Fit gradus ad finem: toto nihil orbe relinquit
Iste tuus, constans, firmum, durabile, liuor.
Omnia subuertit, turbataque; distrahit, aufert
Quae meliora putat, mutans peioribus, omni
Tempore ducendis, nisi si miserata laborum
Fata ferendorum miseris mortalibus, omni
Producto, certo statuissent limite finem.
Nec semel hoc illi satis est, si singula quaeque;
Non toties perdat, quoties sublimior auctis
Sol radijs summum molitur ad aethera currus,
Ad uitam, robur uiuum, uiridemque; nitorem,
Natiuumque; decus, renouataque; dona iuuentae
Cuncta uocaturus cunctarum semina rerum:
Quae prius, inuidia uestra regnante, iacebant
Perdita, sub uestris inducta morte uenenis.
Sol hyemis uictor uix tandem in fine tepentis

A ij

Euadit

Euadit ueris, radiosq; lumina spargens
 Vix bene peruasit spisso pendentia caelo
 Nubila, uix omnes uitalis spiritus auras
 Impleuit, cum te celeri torquente rotatu
 Sydera, quæ nimium subitis successibus urges,
 Aestuat, & florum decus, & quæ prætata uirebant,
 Exhaurit fragili tantum delusa nitore,
 Et tanquam timeas nimis ne mensibus annus
 Horrea disrumpat, nimio cellaria Baccho,
 Autumno premis æstatem, subit horrida bruma,
 Longa trahens secum torpentis tædia uitæ:
 Bruma gelu, niubus, uentis, comitata: pruinis
 Circumsepta caput: tempestatesq; sonoras
 Horrendo fremitu & pluuijs bacchata procellis:
 Nec solos tangunt flores hæc damna, segesue
 Solâ timet, solumq; manent incommoda Bacchum,
 Nos quoq; mutamur deflorescentibus annis,
 Nescio quid passi: non forma, colorq; uigorq;
 Corporis, aut animi remanet, sed tristior ær
 Ingeritur nobis, quo mens corpusq; grauatur.
 Nec foret huic pesti finis, sæuiq; tyranni
 Expleres rabiem, nisi quod præsentior almi
 Opponit tibi se cæli Phœbæiã uirtus,
 Et de pestiferis perituros faucibus aufert:
 Obsistis tamen, & post regna ablata cruenta
 Insultas, & triste uides mala noxia tolli
 Exors in medium deducens frigus Aprilem.
 Non fuit hoc crudele satis? nisi semper ab omni
 Parte retrò redigas renouandis commoda rerum
 Viribus, & rapias, aut interscissa retardes?

Ecce

Ecce tenebrosa nocti iam cæperat horas
 Ablatas, melior luci coniungere Phœbus,
 Et Ganymedea medium transiuerat urnæ.
 Virtutem renouata dabat nunc aura recentem,
 Et quanquam flores nondum, nec grata colore
 Pascua gramineo, nec adhuc in palmitè gemma
 Rideret, gratumq; tumens latantia nondum
 Lumina per uarijs ornata coloribus arua
 Pasceret, aut auium mulceret cantibus aures
 Ver placidum, aut dulci nares completeret odore.
 Spes uicina tamen solito solatia uitæ
 More nouaturæ, mortalia corda suauit
 Augurio ducens, uenturi gaudia ueris
 Monstrabat, dulciq; animum nouitate tenebat.
 Temporis inuidit liuor, secumq; uolutans
 Imperij finem, Phœbumq; redire, diesq;
 Ferre salutares: Num sic concessero? secum
 Dixit, & in fraudes animum demisit acerbas.
 Esse dies, inter reliquos, quos candida Phœbo
 Lux peperit, dicunt alios, quos portitor atri
 Curgitis, immodico suffusus membra ueneno
 Ex Acheronte suo, complexu matris abusus
 Noctis, progeniuit, malefausto sydere natos:
 Qui nec sub Parcis degunt, inamabile numen
 Quippe, quod officium nullo sortitur in anno,
 Nutrices circum furias uersatur, & errat
 Incertum, si forte malum crudelius ullum
 Præstandum furijs, affixum in parte coheret,
 Funestumq; facit fati immanibus annum.
 Ex horum numero fuit is, quo contigit olim

A iij

Flebilis

Flebilis arsuræ præludens Allia Romæ,
 Et qui nobilibus Cannensi clade peremptis
 Detractum Pœnis transmisit ciuibus aurum,
 Et qui Pompeio committens Caesaris arma
 Pharsalicos diro tepefecit sanguine campos.
 Seuocat ex istis quendam, cui plurimus ipse
 Infudit sese, genitor, debinc talia fatur:
 Cessatum satis est ò dulcis nate superq̄,
 Et fatis currunt nimium fœlicibus horæ,
 Audendum fili, superas emerge sub auras,
 Quodq̄ tuus patruus, frater meus, imperat, illud
 Promptior exequere, & factis mora nulla subesto.
 Is paret, latusq̄ domos rellinquit auernas,
 Et uenit ad tempus, iussusq̄ requirit, at illud
 Diræ tyrannisono diffundens uerba palato,
 O de fratre nepos, ait, hoc tu confice solum
 Te dignum, patruoq̄ tuo, patriq̄: Bobemos
 Ipete, ubi triplicem fœlici flumine Pragam
 Alluit Albis, ubi terquintos Regia coniunx,
 Iam toties mæter, partus enixa recumbit:
 Eripere hanc mundo meditor, qui gaudia secum
 Voluit, uicini ductus dulcedine ueris,
 Effice ne cunctis animos in uera resolui
 Gaudia contingat, labor hic tuus esto, tibiq̄
 Gloria sit, æcus hoc generi placet addere nostro.
 At monstrum, quanquàm diris parere parabat
 Mandatis, sauumq̄, titillent gaudia pectus,
 Horruit iniuncti crudelia crimina facti:
 Exequitur tamen, & sedes uiltricibus alis
 Ingreditur Stygias, ubi saua piacula facti

Dispargit

Dispargit, laudant scelus, amplectuntur alumnium
 Nutrices furie, non tam, quod fata potentis
 Regina (quanquàm placeant) fera pectora uersent,
 Quam quod tot populos, tot gentes, regna, lacusq̄,
 Tam saui maneant longum latumq̄ dolores,
 Qua primos agitat fontes, qua flumina ducit
 Ister, & exundans protrudit cornua Rhenus,
 Quaq̄ Tagus fuluas lambit preciosus arenas,
 Qua Sauus, Draususq̄ fluunt, atq̄ bac, ubi fluctus
 Spumigeros primis molitur cursibus Albis.
 Quid facis ò immane nimis, quo lior hic ingens
 Procedit? quem das finem crudele malorum?
 O malefausta dies, malefauste dedita tristi
 Flagitio, in tristes nimium obsequiosa dolores:
 Ne propera, ah, odio si tam crudeliter acris
 Prosequeris mortale genus, nec in omnibus unquam
 Perfectum pateris numeris, & ueris amani
 Disturbas hac clade bonum, non est opus illa.
 Ver aufer, uerisq̄ decus, ridentia tollas
 Pascua, florigeros hortorum perde triumphos,
 Omnigenumq̄ genus florum, non lilia, nardus,
 Narcissus, uiola, crocus, aut crescant hyacinthi
 Aut quoscunq̄ solet Zephyritis Flora colores
 Et dare suffitus oculis & naribus aptos.
 Excipe spem mæsis, Bacchi spem decipe, totus
 Iste sit annus hyems, Dominam ne tolle precamur.
 Hæc erit una decus florum, fœcundaq̄ mæsis,
 Fructifer & multum fundens autumnus Iacchum,
 Si rapis hanc, seros nimium deducis in annos
 Ultrices odij furias irasq̄ tuorum.

Sint

Sint precor illa satis, tali satiare dolore,
 Vnus erit, quamuis totus, damnabilis annus.
 Quid precor & surdas pulso male sanus ad aures?
 Forsitan id factum, quo nunquam vere fruamur,
 Et quoties hyemis finis, latuſq; redibit
 Phœbus, & oppressum ueniet firmare uigorem
 Orbis, ut instauret labentis gaudia uitæ,
 Infelix toties occurret mortis imago,
 Et dolor ex Domina tantæ uirtutis adempta.
 O sauum, crudele, minax, inamabile tempus,
 Durius æ quoreis scopulis, immanius undis,
 Barbariusq; feris, & tygride sæuius orba:
 Siccine tam raris claram uirtutibus, ortam
 Tam claris genere & magnis uirtutibus, auctam
 Tot regnis, & sublimi ditione potentem,
 Quæq; (quod his maius) tanti dotata mariti
 Coniugio, triplex sceptro moderantis eburno
 Imperium, triplicis consors Regina coronæ,
 Præfuit Hungaricis, Romanis, atq; Bohemis.
 Hæc ego commota meditabar iurgia mente,
 Et uoces etiam dictis dolor addidit ingens:
 Cum subito domus ingenti splendore corusca
 Emicuit, tremuere fores, mihi frigidus horror
 Intima concussit stupefacto corda timore:
 Vix tandem positoq; metu mentisq; stupore,
 Attollens oculos nimio splendore grauatos,
 Ecce, biceps tempus uideo me lumine toruo
 Aspectans, quod sic rixosis uocibus infit,
 Duriter iratam soluens in iurgia linguam:
 O cacas hominum mentes, terrenaq; semper,

Immemores

Immemores patria, uersantes commoda uitæ.
 Quid me mortales miseri damnatis? Olympi
 Lege regor, rector Deus est, eiusq; uoluntas:
 Non ego uos odi, nec commoda uestra dolores
 Progenerant mihi, non faciunt mihi gaudia tristes
 Fortuna, quibus exagitat uos mundus, & illas
 Non mihi debetis. Vestra est ea culpa, parentum
 Prima lues, quæ nil toto permittit in orbe,
 Quod non uos uestri moneat regnumq; patentis,
 Quo prius omnipotens uoluit Deus esse potentes,
 Indicet ereptum mundi, meruistis, & istinc
 Iure nihil uestro uobis deposite, nil hic,
 Quod uestrum sit, mundus habet: sed cuncta relictis
 Excussere iugum dominis, atq; undiq; tristes
 Intentant curas, ego, sicut cætera, cogor,
 Ex omni (nam uos mutaſtis) parte futurum
 Perpetuum Zephyris æterni ueris amœnum,
 Semper mixta nouis adferre pericula rebus.
 Quodq; prius totum non interſciſſa per annum
 Tempora ducebat, nullisq; exercita morbis,
 Mutato Deus in peius, super addidit atras
 Veri hyemes, æſtusq; & inæquales autumnos.
 Omniaq; amissi, posuit signacula ueris
 Vt mortale genus toto conamine tendat
 Pertæsum illius, bona ad huius gaudia ueris,
 Cælestesq; domos, nostraq; propaginis ortus.
 Huc o mortales uestras extendite mentes,
 Et petite æternis brumæq; geluq; relictis
 Perpetui nunquam perituros ueris honores.
 Huc ego tranſactis uelocis cursibus æui

B Reginam

Reginam, uestris quanquam mœroribus amplam
 Forſitan obſiciens, in conſumptoq; dolori,
 Materiam, duxi: non hanc deſete, ſed altis
 Immixtam ſuperis, lati gaudete clientes,
 Et laudate ſimul, tuq; o qui concitus ira,
 Quam faciebat atrox mœror, multumq; frequenſq;
 Opprobrium dixi, uerſis calamoq; ſtyloq;
 Excipe me dictante pia, præconia fama,
 Debita Regina, neq; enim ueracius illa
 Me quiſquam nouit, cunctos annosq; dieſq;
 Et qui uiderunt primi fundamina mundi,
 Et qui uiderunt poſt primi ſæcula mundi,
 Quicquid ad hæc longum diduxit ſæcula mundum,
 Cum lubet, in memori, non falſum, mente reuoluo,
 Sæpe quidem uidi tam longo exempla cohortis
 Maxima fœmineæ ſpatio, claraſq; ſuorum
 Nobilitate, ſua quoq; nobilitate nitentes,
 Laude pudicitie claras, & prole beatas
 Multiplici, quarum caſtiſſima pectora iuſto
 Legitimi ardebant igni thalamiq; thoriq;
 Et quas queſitis decorabant bella triumphis,
 Et quas conſpicua ſufflabat gratia formæ,
 Vidi diuerſa donatas dote, boniſq;
 Diuerſis: ſimilem ueſtræ non uidimus ullam
 Reginae, quam communi dolet Austria luctu,
 Pannoniciq; lares, & limitis arua Bohemi.
 Scilicet, ex omni quæ poſſet parte beata
 Dici, nulla fuit: formoſam damna pudoris
 Dedecorant, tbalamum quæ caſta pudicum
 Seruat inoffenſo atq; uni ſua gaudia ſponſo,

Prolibus

Prolibus orba manet: fœcundæ partibus alui
 Illa uirum beat, & nutrit pia pignora pacis,
 Hanc tamen imminuunt rixoſæ iurgæ lingua.
 Singula nobilitant alias diuiſa, genusue,
 Aut proles numeroſa, thori uel gloria caſti,
 Aut formæ decus, aut ſapiens prudentia mentis:
 Sed collecta ſimul mixtoq; fluentia riuo
 Omnia Reginam, quæ nunc deſletur, honorant.
 Hæc coniuncta tenet, quæ uel ſeiuncta beatas
 Efficiunt, & quas laudes cantuſq; merentur
 Tam multa, tunc ſola uenit celebranda Camænis:
 Quis qui conceptis nitetur dicere uerbis,
 Falletur, numerum quærens ripalis arena.
 Nam quid ab eximia prognatos ſtirpe parentes
 Eloquar? aut totum cupiam tranſcurrere ſtemma?
 Maternumq; genus? quod diues Gallia Regis
 Sanguine coiunctum donat: quid originis ortus
 Magnificos patriæ dicam? quid tota propago
 Innumeris hinc inde nitens, ſplendensq; trophæis,
 Narretur? quam dat uaſtis Lithuania campis
 Nobilis, aut magna celebrandos laude Viteldos
 Enumerem, proauum fratrem, proauiq; parentem?
 Aut ipſum proauum te Vladiflæ, tenentem &
 Nomen idem natum ſceptra uirtute paratis
 Conſpicuum Hungaricis? quid te Caſimire nitentem
 Sarmaticis, regnis dum dicis iura Polonis?
 Quid uæ Sigifmundum memorem? quæ ſceptra tenentem
 Progeneras eadem. Cur alter filius, Anna,
 Quam gemimus, genitor, multis celebretur, ad amplum
 Traductus regnum, quod diues Pannonus ambas

B ij Danubij

Danubij ripas habitans tibi tradit habendum :
 Scilicet innumerosq; uiros uirtutibus auctos,
 Et magnos genuisse Duces, Regesq; potentes,
 Magnificum quamuis habeatur: clarius Annam
 Est genuisse tamen, populis regnisq; per omnem
 Europam sparsis Dominas Regesq; daturam.
 Fœlix illa dies, toti celeberrima mundo,
 Quæ primas lachrymas, questus, & murmura natæ
 Audijt infantis, fœlix o terra, tenellum
 Hoc pondus quæ prima tulit, fœlicia certè
 Vbera, quæ sumpsit cupienti prima palato:
 Fœlices proaui, tum qui genuere beati,
 Et mater breuib; circumdata colla lacertis,
 Primaq; percipiens incerta murmura linguae.
 Iam tum maiestas tenero lucebat in ore
 Regia, iam faciem decorabant certa tenellam
 Signa futurorum, nec enim puerilia lusu
 Infans plebeio primis tractabat in annis:
 Sed poterat tantis dici præ ludere regnis.
 Forma fuit, quamquam minimum est in laudibus illa,
 Quæ tanta specie decoraret corporis artus,
 Vt fierent tantæ domicilia debita menti,
 Quæ fuerit sanctæ prudens sapientia matris,
 Curaq; quæ crescens formata est moribus atq;
 Dicere difficile est: prouectæ sed pia uita
 Integritas, cuius toto cantatur in orbe
 Dexteritas, satis eloquitur: quæ tanta refulsit,
 Vt potius nimio perstricta nitore graualet
 Lumina, quam possit planè per spectata uideri:
 Non secus ac puro radians Sol clarus Olympo,

Spectari

Spectari nolens, oculos splendore retundit.
 O Sol uirtutum, certissima norma tuorum,
 Quæ tanquam mundi celso composita theatro
 Personis rutilans gestabas lumen agendis:
 Nam quis non tanta motus uirtute potentis
 Principis, exemplum rapiat, promptusq; sequatur,
 Quo præit excellens iuncto Regina marito?
 Sed quid nunc recolem diuini & fœdera lecti
 Sancta maritalis, de quo si dixerò multa,
 Plura relinquentur, solum memorabimus illud:
 Tanta fuit thalami fœlix concordia casti,
 In tota ut faceret scelerum regione pudorem.
 Non eget hæc nostris res laudibus. Ille supremi
 Omnipotens pater, atq; Deus, moderator Olympi,
 Fœdera coniugij testatur casta pudici
 Pignoribus certis, & magno munere firmat,
 Largitis quatuor natis, quibus addidit unam,
 Nec non conspicuas forma bis quinq; sorores.
 Cætera prætereo: quæ si comprehendere nitar,
 Sol prius Hesperio demerserit a quoque lucem.
 Quicquid in eximia matronæ laudibus unquam,
 Quicquid in eximia Regina laudibus unquam,
 Scriptores scabris collaudauere libellis,
 Cogendum foret, & nondum suffecerit uni.
 Expertum loquor hæc: noui quibus artibus altis
 Adscriptæ superis, Pallas, Proserpina, Iuno,
 Flaua Ceres, formosa Venus, turrata Cybelle.
 Visa mihi, horrifonis immixta Semyramis armis,
 Cognoui, exustis quæ pugnat, Amazona, mammis,
 Vetricemq; fugam miseræ Didonis, & urbem,

B iij Quantaq;

Quantaq; de uiduo fuerit constantia lecto,
 Immemorem docto perstringi carmine magni
 Virgilij: scimus fidissima pectora castæ
 Coniugis Admeti, propria quæ morte redemit
 Fata uiri: scitur quantum, comitata peremptum
 Laodomeia uirum, misero flagrarit amore:
 Vidimus Euadnen Capancia fata dolentem,
 Ut sua cum bustis misceret busta mariti,
 Intrepidam sese crepitantibus indere flammis.
 Vidimus Argiam, cum rapti coniugis artus,
 Multa gemens, miseros, uetito consumeret igne:
 Penelopen uidi per bis duo lustra marito
 Seruantem sese mendacem texere telam:
 Vidi Hecubam, centumq; nurus, quibus illa beata,
 Cum nondum Danaïs cecidissent Pergama flammis,
 Plurima debebat longæ solatia uitæ:
 Vidi, donaret cum libertate, coacti
 Ensis adulterij, uindex, genus Aeneadarum,
 Romanaq; nurus alias, ingentibus auctas
 Laudibus, & dignas, quarum præconia sera
 Posteritas celebret: sed quæ uirtutibus omnes
 Impleret laudum numeros, quanquam omnia uidi,
 Huic similem uidi nullam, nullamq; uidebo,
 Regina, quam nunc superis, super aethera summum,
 Sedibus adscriptam, uobis lugetis ademptam,
 Lugendam minime, cum sit sociata beatæ,
 Raptaq; de media miserorum ualle dolorum.
 Talia dicta dabat Tempus, solatia præbens
 Mœstitia meditura meæ, dictisq; quieuit.
 At mihi, quæ mœstos fuerant reclusa dolores

Pharmaca

Pharmaca, nutrito præbebant semina morbo.
 Nam dum, quæ longo mihi dixerat ordine Tempus,
 Singula perpendo, magna uirtutis imago
 Me subiit: quantumq; ferat res publica damnum
 Inueni, & quanti comitentur damna dolores,
 Singultus, lachryma, luctus, lamenta, querela,
 Ploratus, mœror, gemitus, suspiria, luctus:
 ANNA quidem Regina, Diis fruiturq; pijsq;
 Addita, fallacis deridet commoda mundi:
 Nos miseri, quibus illa fuit spes maxima, quæq;
 Plurima demebat miseris fragmenta malorum,
 Concidimus, modo priuati tibi tunc tanto.
 In proprijs lugere malis, plorare, queriq;
 Cogimur, & nostros lachrymis explere dolores,
 Absint latitiæ, saltus, conuiuia, lusus,
 Tympana, cum neruis, absint cytharæq; lyræq;
 Et tuba directo, atq; redunco tibia cornu,
 Nil, nisi triste, sonet: resonantia cuncta querelis
 Tristibus exululent, ululantibus assonet Echo,
 Exululent, magni patimur dispendia damni.
 Aut, si secura stupidus tot perditâ quisquam
 Commoda mente gerit, sub ductum robore duro
 Pectus habens, tantosq; potens contemnere casus:
 Aut, si tanta super cadit ignorantia quenquam,
 Ut quantis priuata bonis, quot publica rebus,
 Nesciat, exciderint: saltem moueatur ad istas
 Infauftas nostri Domini Regisq; querelas.
 O quibus imperio præsum, regnisq; gubernis,
 Et quæcunq; meo uiuant moderamine gentes:
 Agnosco cœli leges, fatiq; tenorem

Omnia

Omnia tollentis: sunt & mihi roboramenta
 Magnanima, quæ fortuna fallacis atrox
 Insultus, uariisq; queant euincere casus:
 Sed quæ uno tantum labefieri uiuida fortis
 Vis animi poterat, casu labefacta sub uno
 Comprimitur, Tanta decoratam dote, bonisq;
 Conspicuam, qualem uastus non uiderat orbis,
 Moribus, ingenio, nulli, pietate, nec ulla
 Corporis aut animi donis ex parte secundam,
 Heu miseri, thalami consortem amisimus ANNAM,
 ANNAM, quæ uario distractum corda tumultu,
 ANNAM, quæ grauibus depressum pectora curis,
 In se translatis æqualia pondera curis
 Portando, media refouens ex parte leuabat.
 Vos rogo, per uestris semper sudantia rebus
 Pectora, per uigiles, multaq; sopore carentes,
 Quas tam sæpe uident lucentia sidera, noctes
 Vobis impensas, mecum lugete, doloris
 Sumite fragmentum priuati coniuge tanta.



